S. 3

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

LUSUS EROTICI

Nec siquid olim lusit Anacréon,
Delevit aetas.
Horat.

FOROCORNELII
EX OFFICINA GALEATIANA

AN. MDCCCLXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD ALOISIUM CIBRARIUM

COM. V. CL.

Ludere Gina (1), pater, docuit te, blande leporum
  Cibrari, numeris, quos legat omnis amans.
Amens dicetur nostris fortasse diebus
  Et sensu et cura, qui sit amore legens:
Sed non humanus dicetur censor acerbe
  Carpens quod versu molle sit, atque pium.
Ille colat tenebras, ceu noctua; Solis ab aestu,
  Cibrari, sospes tu philomela canis;
Atque imitatores alios facis esse (vel infra
  Parnassum) citharae, pectinis atque tui,
Ipse senex viridi virtute! arescere pubes
  Dum tendit studiis adsequiturque novis.

(1) Versi a Gina — di Luigi Cibrario — Firenze tipogr. Eredi Botta, 1869. 8.° p.°

Digitized by Google

164

APIS AD CHLORIM.

Mellis apis studiosa, petit dum rura, labellum
Florilegae pupugit Chloridos, atque manu
Pressa statim, vitam posuit prope vulnere in ipso,
Dicere forte parans: parce, puella, mihi!
Esse rosam quia te suffuso lacte putavi
Jungentem roscis lactea colla genis.

AD PSYCHEM.

Ardentem curnam, vigil in tua damna, lucernam
Invehis in thalamum sponsa reducta tuum?
Posce cicindelam, quae luce perambulet intus,
Prodat inumbrati conjugiumque Dei.
Nil ago: stulta videt quem non vidisse licebat:
Debilitatur enim vi rationis Amor.

AD PHYLLIDEM.

Fide, puella, parum formae! Quod mater in umbra est,
Aut avia ante focum, tu quoque, Phyllis, eris.
Forma placet dum sponte venit; sed carpitur empta,
Ut rosa prolapsis arguitur foliis.

AD EANDEM.

Parce canem deflere tuam, raptosque leporcs
Phyllis! an haec Charitum est ultio? Crede mihi,
Phyllis ea est: etenim accumulas tu sola, leporum
Tres quod habere solent, invidiamque moves.

DE EADEM.

Phyllis anus famulum post multos diligit ignes,
Queis exusta diu, se male pelle tegit.
Ergo, quod reliquum est, dignabitur ossibus illa
Hunc emptum. Canibus jus dedit ossa vetus.

DOTIPETA.

Uxorem ducis! quantin'? — Centena dabuntur
Millia nummorum dinumerata mihi

In praesens; meliusque cadent res morte parentis,
  Cujus opes, gnatae jure, fideque tori
(Seu testatus eat, sive intestatus) habebo.
  Gratare aucupio, connubioque meo.
— Quid de te conjux? — Me diligit; hoc satis esse
  Cuique potest sano: cetera sunt animi
Motibus elatis nimium juveniliter usti.
  Haud expers thalami, scrinia respicio,
Scrinia praecipue; quibus adservatur in auro
  Spes hilaris vitae, zelotypus nec amor.

LUNA MELLITA.

Gryps in mellita quae sit sententia Luna
  Quaerit homo curis invius anxiferis.
Alter adest crustis apponens dulcibus offam,
  Atque ait: haec Luna est melle soporifera.
Obliviscuntur thalamorum sorte beati
  Cetera, ceu Lunam se tetigisse foret.
Res ab amore graves subeunt post menstrua mella:
  Et tumulum in thalamo tunc sibi condit amor.
Obstupuit gryps ille; manu nasumque petebat,
  Incertus facie num superesset adhuc.

NAENIA.

Pappe, veni! frustra puerum exanimare laboro
  Cantibus, ut noctem dormiat ille suam.
Pappe, veni! metuende veni farragine barbae,
  Voce truci, magnis passibus affer opem,
Ut querulus meus iste sibi sciat esse tacendum
  Denique. Pappus adest, lumina conde, puer,
Conde statim, ne quid videas, visendus et illi,
  Omnes qui pueros corripit: abde caput.
Quantus inhorrescit proh! crine, genisque pilosis,
  Qualis!.... At in matris tutus eris gremio
Tute, puer, tantum ut parcas vagire. Licebit
  A somno solidum cras vigilare tibi.

Digitized by Google

166

DE MARCO.

Marcus in extremis: — oblivisci omnia possum,
Sed non uxorem! — Clamat et emoritur.
Uxor amata nimis, nunquam oblitura maritos,
A thalamo ad thalamum viva vigescit adhuc.

DE OCULIS ELISAE.

Non licet his telis oculorum corda per urbem
Diruere, et praedas accumulare tibi,
Solis Elisa soror, manifesto sidere formae.
Spectator quisquis luce moratur in hac
Uritur, et cura redit in se factus amator.
Amens a specie, quam dat imago Deae.

DE BRIGIDA.

Si mutetur in f quae littera nomine prima est,
Brigida quae fuerat, *frigida* fit subito.
Si tollas, *rigidam* facies, similemque pruinae,
Induat interior ni prius ipsa gelu.
Quidquid sit, liquidi nihil haec, vel mollis habere
Brigida vult: etenim quid sibi triste timens
Orbis ab illecebris, dare se fugit illa videndam,
Vepribus, et spinis obsita pene rosa.
Infestare piam jam desine! quae nec amari
Æquales inter, jam nec amare potest.
Namque pudica Deum concluso vivit in horto
Praecipiens sponsum, major habenda choro:
Major, item melior, quae virginitatis honore
Integra stet forma, perpetuaque fide.

DE SUBAINA.

Ab Coromandelae quotquot regione redemptae
Exposcunt patriam, turba nigella, novam
Æquales inter fertur Subaina puellas,
Concolor agna nigras ut solet inter oves.
Dicerem, et ut stellas inter vaga Luna minores,
Si foret ex aliqua nobilis illa domo.

Digitized by Google

Quantus enim pudor est in fronte, genisque rotundis,
  Qualis et in crispo crine sine arte nitor!
Sublucent oculi quid amabile barbariei
  Virginea in facie sponte suapte piae:
Intuitu praeceps ut quidquid ab Italidarum
  Arte venit, juvenum debilitatque jecur,
Sit minus in pretio, capiatque modestia formam
  Rursus ab externis hic imitanda plagis.

AD MARIAM GRATIAM.

Gratia, visa mihi es triplex prope Gratia in una,
  Dum fruor hospitio per loca sola tuo.
Ulla alibi nec tam comis fuit urbis honestas,
  Quam tu sub tecto paupere, mitis anus.
Namque bono vultu excipiens, mihi vina ministras,
  Solarer potu qui fugientis aquae.
Rivule, pasce tibi vitreos a fonte liquores.
  Pasce diu! lymphae garrulitate levis
Sed memor et gratus testare fideliter illi
  Quam sim, quam fuerim, quamque futurus ero.

AD MIMAM PUELLAM
PRIMITIAE VITIS DOMESTICAE.

Sume, puella, tibi primum de vite racemum,
  Palmite fortuito quae bene crevit humi.
Ille rubescentem spissis se porrigit uvis;
  Ut liquido placeat nectare, vultque premi.
Tu pudibunda genas lacte interfusa rosisque,
  Pectore turgidulo fulgida luce comae,
Suaviter aequa jugo similem quandoque racemi
  Hujus, amatori te dabis ipsa tuo.
Conjuge sic thalamus dignoque, bonoque vigescat,
  Conjugis ut fore te spondeo, Mima, parem.

AGAR PUELLA AD BALNEUM.

Balnea quaerit Agar pelagi primoribus undis,
  Inter Jessaeas inclyta virgo pares.

Undarum exoritur fremitus, quantocyus ut sit
  Tangere formosam, quam mare nescit adhuc.
Quae prior advolvi pedibus tenuitque, tulitque
  Corporis egregii membra lavare, dedit
Litore se refugam et laxata volumine dixit:
  — Invidiae quod erit, nunc Galatea sciet. —

VENUS.

Cur Venus emergens pelago, conceditur igni?
  (Nam sibi conjugio Mulciber hancce tulit).
Nempe ut perspicuum sit, fines esse pudoris
  Ad spondam thalami, quo face sistit Hymen.
Ille, revelari quod non permitteret, urit.
  Inde quod est cineris, fit prope pingue fimum,
Unde alimenta capit foecundus semine, vivax
  Germine, progenie denique laetus Amor.

DE LILLA CANE.

Lilla canis certas horas cujusque diei
  Exigit in vinclis, sustinet atque famem.
Nec prius obtinuit satiari, fune soluta
  Quam lambat dominae stantis ab ore manum,
Quin et denticulis digitos infestet adactis,
  Libera latratu continuelque minas.
Felix sorte tua! canis ambitiosa volentis
  Phyllidos optari morsibus ante cibum,
Post linguae officium vibrantis, ut oscula figat
  Plurima jejunis invidiosa procis.
Lambere quam vellent, ubi te compungere morsu
  Fas est! quam vellent oscula vera dare!

DE AMOENAIDE.

Crispat Amoenais calefacta forcipe, et urit
  Prolixas, unde est aurea tota, comas.
Ridet Amor speculo intentam, cupidamque placere
  Millibus intorto crine voluminibus.
Auro splendet honor. Fluat aurum? copia major
  Est pretii, et species imperiosa magis,

Insidiosa nihil nodis; aequalibus ut sit
  Invidiosa nimis laude capillitii.
Quaerat Amoenais potius nutrire fluentes
  Sponte sua crines a capite ad genua.
Quod natura dedit, nulla sic arte levando,
  Mirantùm post se corda revincta trahet.

AD PHOLOEN.

Perficere est animus nec amore diutius uri:
  Abdico te, Pholoë, dona, fidemque tuam.
Sed quid dona, fidem memoro? donatus ubi ipse
  Diruor, et fallor, quo mage tutus ago.
Sunt in amore joci, queis lusor cyclicus isdem
  Utitur, adstantes decipit inque foro.
Jurarent, nummos alienam intrâsse crumenam,
  Migrâsse et globulos a calice ad calicem
Praerapidae virtute manus: tamen artis ad imum
  Ludificae, proprio stant sua cuique loco.
Quorsum oculi? si connivent errore decenter
  Impliciti, atque dolo, dummodo tectus eat.
Non mihi, sed, Pholoë, tibi consulo, credulus in re,
  Qua me pergo sciens perdere, nec doleo.
Nescio quid vellem, sed eo si forte potiri est,
  Eheu! post paullo poenituisse subit.
Nempe datum timeo, ne non succedat habere
  Totum, et amicorum liberum ab invidia.
Omnia partiri patiar: constanter amati
  In partem cordis nemo venire potest.

DE IMAGINE LIGURINAE.

Quid, Ligurina, petis? specie, ni fallor, amari.
  — Falleris: hinc videor poscere longe aliud.
Peccavit pictor, vel peccavere colores:
  Felix! ni dicar Lais in hac tabula.
Cyclade diducta, perfricta fronte, genasque,
  Non induta rosae flore, sed usta face. —

DE LIGURINA.

Mirifice adscitos dentes Ligurina relaxat
  Sternutans, plures, proh pudor! ante procos.
Nablia dumque manu percurrit, id ejicit unde
  Pulcra videbatur, forte et amanda magis.
Sic natura suum maletecta aetate recepit:
  Inde et anus prudens nunc Ligurina latet.

DE DORIDE ISTRIANA.

Mobilibus digitis expergefacta sonorum
  Per chordas series, te numerante modos,
Motibus insolitis facit exultare peritos,
  Qui te conclamant artis honore Deam.
Quantula sis studio scis ipsa, et scire fateris:
  Quanta sed et qualis Musa videris adhuc!
Doris amanda etiam saxis, si saxa canoro
  Constarent sensu, scire caveto nimis.
Quod natura dedit noli diffingere. Stultum est,
  Doctrina ingenii debilitare fidem.

VENUS RESPICIENS.

Gratia quid sit amas ab origine noscere? dicam.
  Principio errorum dos muliebris erat;
Subdola dos, Adam quam sensit crimine amaram
  Fatalis pomi (scis) prohibente Deo.
Fabula per gentes sed eam speciebus adornat
  Idaliae Veneris. Juno sit ore gravis:
Pallas eat galea contenta, et fortis in hasta:
  Pergat in agrestes curva Diana feras:
Sola Venus demissa placet, vincitque premendo
  Ipsa suas vires, respiciensque beat.

DE RATICUNDA.

Esse studet Raticunda levis sic flore juventae,
  Exul ut evadat sensibus ipsa suis;
Quaerat et occultis aliena negotia rebus,
  Scire peroptanti quae manifestet adhuc.

Digitized by Google

A magnete fluit totum hoc. Trahit omnia magnes
  Flamine pervolitans: hinc Raticunda semel
Saga fit, atque iterum, coram insinuante perito,
  Quem faciat magnes esse fluore parem.
Multa ferunt miranda viri de vate puella;
  Mutus ego dubito, quin sit hic omnis amor
Magnetis liquidi: solidum est quod penditur auri.
  An non oráclum vi patietur agi?
Pythia sortilegis meruit donaria Delphis:
  Haec meret ambigua credita voce sibi.

PRO SEPULCRO PAULLI ET FRANCISCAE ARIMIN.

Hic Francisca sita est, et eadem Paullus in urna,
  Ut potiatur iners qua tulit esse reum;
Atque intercepto cognatus adulter amore
  Quod tenet, excupiat, quo periitque, fleat.

AD TUMULUM FELICIS INFELICISSIMAE.

Criminibus gnati stupefacta, fideque maritae
  Indigne laesa, nil patre sollicito,
Hic tegor: audivit me mors nam saepe vocantem,
  Omnibus hisce piis impia facta minus.

CANIS VENATICUS AD SEPULCRUM HERI.

Quovis mense, die fatalis subligor horae
  Hic tumulo domini marmore conspicuo.
Spectatum accedunt aliqui, scriptumque quod infra est,
  Rarus homo curat, nullus it in lacrymas.
Solus ego secum vita venaticus omni
  Huc trahor, hic recubo, sto, referorque dolens.

IN FUNERE MEGILLAE.

Viva Megilla fuit! Chartis confusa loquuntur
  Scrinia, librorum copia fusa solo:
Testantur questus memorantûm verba magistrae,
  Exul et a celebri philosophia schola.

Mortua sed vixit! quoniam muliebre quod esset
  Indignans, studiis induit illa virum.
Testantur colus usque vacans, ignotaque pensis
  Vellera lanifica perficienda manu.
Testatur series fusorum intacta quasillo,
  Et nunquam arguto pectine tela loquax.
Si propria haec curae voluisset habere Megilla,
  Mitis et ingenii sedulitate sequi,
Qui doluere domum laesam salsedíne matris
  Doctificae, at nullis utilis officiis,
Non ita se gererent in luctu funeris ejus,
  Quales qui pulla spem prope veste tegunt,
Suscipiuntque fidem melioris sortis: in hac nam
  Victima doctrinae desiit esse domus.

LAURA FRANCISCI PETRARCHAE.

Cede locum famae, digno data Laura marito:
  Jam non ambigua te decet esse fide.
Altera Laura pii de garrulitate Petrarchae
  Versibus explicita, nomen adepta fuit.
Scilicet argutis hunc Cabellónia virgo
  Mellifluum numeris, sollicitumque facit.
Altera quae semper taedas exosa jugales
  Servavit casta tecta paterna mora:
Postmodo deficiens lenti tentamine morbi
  Venit, ubi Veneris fulgida stella micat,
Implevitque sua gyrum virtute modesta,
  Purgando sordes tempore praeteritas;
Rursus et ostendens, invitis sensibus ipsis,
  Posse diu fidum pectus amore dari.

NONACRINA, ET HYLAS.

Nonacrina pares inter versata puellas
  Turbine saltandi, ferit pede laesa moram.
Exit amator Hylas trepidans cito ferre levamen,
  Huc, ubi cum medico pharmacopola sedet.
Narrat anhelando casum, verbisque calorem
  Pectoris insinuat, denique poscit opem.

Sed medicus: — nulla hic. Tibi calceus obstat, et illi.
  Detrahe; et impressis oscula fige labris.
Pes revalescet: erit pudibundae mira puellae
  Gratia, quae merito quid tribuisse volet.
Felix a casu saltantis virginis! intus,
  Pulcher Hylas, de te si magis aegra redit.

LALAGE ET LYCON.

Sol ruit, et castos splendore coronat amores,
  Fons ubi lentus aquis incipit esse lacus.
Hic Lalage sub falce jacet resoluta capillos,
  Ex opera herbarum brachia lassa gerens.
His complexa caput, delectabatur inire
  Vix audita labris sibila purpureis.
Audivit, studuitque Lycon sub arundine eosdem
  Accessu prudens ipse referre sonos.
Risit amatorem facile deprênsa puella,
  Nec magis erubuit, quam rubuisse foret.
Sed dicto invasit: — quis te, scelerate luporum,
  Attulit huc? Quod ego sibilo propter aquam.
Est serpentis. Age! hinc procul esto: ardore venenum
  Concipit aestivo, scis, vagus anguis agris. —
Pastor ad haec: — Equidem merui temerarius: ecce
  Exspecto morsum: desidiosa, feri! —
Tunc Lalage insurgens quantumvis casta Lyconi
  Oscula libavit: liquit arundo manum.

DE PHYLLIDE.

Constipata lacu fervet vindemia mustis,
  Vinitor alterno quae pede fluxa dedit.
Murmure secreto postquam implevere dierum
  Quod satis est, fiant ut subeunda scyphis,
Phyllis epistomium tentavit, et usa liquore
  Ter quater indulsit, non sine faece, sibi.
Venit, et immisso pede, juxta dolia cellae
  Stertentem offendit Phyllida cultor agri.
Continuo exarsit, quam vellem dicere! in iram,
  Dicere compellit me sed amore locus,

Atque verecundae prope gratia laesa puellae,
  Quae me respiciens, fit taciturna fuga.
Ruriculam nec enim sperabat habere notantem
  Furta pudicitiae sic inimica suae.
Quamvis vera latent, vinosa puella diurni
  In culpa somni, dolia propter, erit.

NIDDA ET MYCON.

Nidda puella micat digitis, superare Myconem
  Anxia per ludum disparis, atque paris.
Ipsa vovet Veneri se: quem dilexerit illa,
  Osculum habebit enim qua sibi parte velit.
Nemo recognoscet judex. Ibi turtur agebat
  Saepe gemens; fert huic et sua vota Mycon.
Audivit, gemituque vices praedixit amicas
  Arbitrii. Digitis victor it inde puer.
Nidda modum antevolans mira levitate jubendi,
  Quod debet, media fronte dat, atque fugit;
Dumque fugit, geminae occurrunt candore columbae.
  — Auxilio serae nam quid adestis? — ait.
Ad Venerem vestram Niddae properate pudoris
  Vos testes; dominam si pudor ullus habet.
Serva videbar ego, sed sum dominata Myconi,
  Praevertens quod erat sorte minore pati.

DE CAMINELLO VILLULA.

Villa Caminelli superat producta camino
  Irriguas valles, umbriferumque nemus.
Hinc inde est nebula, et tenebrae sunt frondibus infra:
  Pastor apud septum tonsile pascit oves.
Quas interficiat plumbo livente volucres
  Venatur dominus, sollicitante cane.
Ast ego pone sequor, caedis miratus amorem
  In puero, humanus qui foret a studiis;
Atque subalaris recitando carmina Flacci,
  Hunc ago vulnificum spe removere truci.
Vana fides in melle lyrae! Fit arundine adacta
  Pejor in alituum, dum loquor, ille genus.

Digitized by Google

Passerum ab effusae cecidit nam grandinis ictu
  Par geminum. Veneris forte quadriga recens.

VICINATA.

Vicinata jugum tenui cum fonte perenni
  Et nemore, et densis cespite arundinibus.
Imposita nunc mole domus, viridaria florum
  Laeta peregrina stirpe decenter alo.
Laurus habet medium, siquis sine mente poëta
  Condere sub foliis carmina forte velit.
Purgari me longa fuit tot inertibus umbris,
  Et radice mala, cura, laborque patris:
Sed quoque major avi, turrita nepotibus ut sim,
  Hostibus exclusis, arx, et ab urbe mora.

VINCILIATA.

Vinciliata vocor: mihi vimina sponte dederunt
  Nomen, et agmen opum cratibus, et salice
Curvato, intexta simul atque sedilibus alga,
  Pluribus, aut uni pro libito positis.
Ad genitos ab avis veniebat nostra supellex
  Simplicitate nitens, commoditate placens.
Nunc aliter vigeo, celebrata colentibus arvum
  Pingue meum, et virides cespite delicias.

DE PRAESTANTIA GENERIS.

Sara, et Agar, mox et Tharidem Cetura passa est,
  Ut foret ex ejus semine quaeque parens
Nobilis, et felix populorum a stirpe potentum.
  Una electa tamen gens fuit ex utero
Jamdudum sterilis, positaeque macrescere Sarae
  Invidia partus, unde superbit Agar.
Nescit homo quid in orbe sibi, sobolique suorum
  Ex immortali destinet arce Deus.
Ergo Deum timeat, doceatque timere creatos,
  Effectu careant ne sua vota pio;
Siquid habet quod amet casto de sanguine vivum,
  Unde aetate velit perpetuam esse domum.

Digitized by Google

AD GLOTTAM.

Glotta, quid accumulas tibi verba sonora cadendo
Dantis divina de gravitate libri?
Melle suo quondam Petrarcha receptus habebat,
Voce puellarum quo pius esset amor.
Laurae adspirantis nam praecipiebat honores
Quaeque sibi, socia laude pudicitiae.
Femineum novitate genus nunc maxima tentat,
Nec sensu obscuro vincitur, atque via:
Exit ab infernis sed caligante figura
Sic, ut amatores arceat, exanimet,
Nec delectetur paribus: nam fronte rigorem
Induit. At rigidus nullibi constat Amor.

DE SYLVIA.

Sylvia se jactat caeco potuisse placere
Cuncta expendenti mobilibus digitis.
— Non ergo intacta placuit cute — Mitte jocari,
Vappa! sono vocis Sylvia nam placuit.

SENEX CORYCIANUS.

Corycianus ego senior sto, specto ruinas
Circa septa mea, et sedulus advigilo,
Ne quid ab his damni capiam rerumve, animive,
Immotis talis usque manere procax.
Officiat segeti robigo; internecet uvas
Frigore ros gemmis, palmitibusque gravis;
Arescant herbae pratis sitientibus; ipse
Intus in orbe meo vulnera praecipio
Intentata polo redeuntis fructibus anni:
Et me sepositus spe reficit cumulus.
Moereat interea sumptum discinctus ad omnem
Vicinus, cui sunt pileus et caligae
Gestandae ac vestes, Gallorum legis ad instar,
Usque levi cultu, luxurieque gravi.
Nimirum radix haec est satis improba plantae,
Urbe domo, gentes unde venena bibunt.

Digitized by Google

RISUS FUNEBRIS.

Venit ad interitum quidam jucundus amicus,
  Jussit et inferri qua minus ardet humus,
Et minus ipsa riget, media regione locorum,
  Ne nimis arescens, vel nimis udus agat.
Sic voluit condi, vinaria cella liquorem
  Condit ubi; vivo qui sibi causa fuit
Audax ingenio ut fleret plerumque morante.
  Ingratam pennis et superaret humum.

DE ELPIDIO.

Elpidius sperat quod nollet habere, Platonis
  Sectator. Metuit qui violenter amat.
Rident astutae de commoditate puellae
  Mitis amatoris, qui sua fata canit,
Semper et amotos deplorat pollice flores,
  Qui circumsistunt, quin et odore patent,
Invitantque legi. Miserum est; tamen esse videtur
  Ridiculum, flammas, ceu salamandra, pati,
Semper habere sitim, semper vitare cupita,
  Corde trahi, retrahi mente, carere datis.

SUB IMAGINE ANACREONTIS.

Hic Tejus est Anacreon deditus mero,
  Simul et Batyllo puero, longaevus senex,
  Eroticus pöeta superstes tempori,
  Cantoribus heröum par, suppar pluribus.
  Mollis materies, sensibus aestimabilis
  In aevum, myrto praevalentem hunc seculis
  Probavit viridi sub corona gloriae.
  Nam vis amoris antevertens ceteras
  Omnes, plus est perennis aere, ac marmore.
  Deficere est annis, sed amore fas aemulos
  Dare se cicadis, quae cantando discrepant
  Arbustis, proprium rursus ut inveniant solum.
    Anacreonti brisa nocuit, ut ferunt,
  Gutture cunctata et interclusit spiritum.

Digitized by Google

Ergo veneno, aut gladio, vel suspendio
(Tria tyrannorum formidanda munera)
Perire Anacréonta jam non contigit:
Annorum series sed producta vitium
Liquore, vitis in racemo desiit.

FINIS

Digitized by Google